



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. II. Virtutem esse habitum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

Qualis verò dicitur habitus?

Definitur habitus electivus in mediocritate consistens, quæ est erga nos, & ratione sic definita, ut vir prudens præscripserit. *Cic. 2. Off.*

Cur requiritur prudentis præscriptum?

Quia oportet aliquem ducem designari, qui mediocritatem ostendat in tanta varietate circumstantiarum. Ut enim in controversiis fortibus, cum homines imperiti sibi iudiciū sumunt, sæpe falluntur: Ita in cæteris actionibus quoque sæpius aberrant.

CAP. II.

Virtutem esse habitum.

Omninõne igitur concludis virtutem esse habitum?

Ita sanè. Nec enim potentia est aliqua generalis, nec affectus: nec alia insunt animæ. Reliquum itaque fuerit, ut eam habitum esse cum Aristotele dicamus.

Verum quidem est: sed qua ratione arguis, virtutes non esse affectus?

Ex affectibus & perturbationibus nec probo nec improbo nominamur: Ex virtutibus autem & vitiis boni & mali dicimur: Ergo virtutes nõ sunt leves perturbationes & affectus.

Quomodo autem demonstras virtutes non esse duæque vel potentias?

Potentia siue facultates nobis insunt à natura: Virtutes non insunt nobis à natura: Ergo non sunt potentia siue facultates.